



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 12. Hujus Scriptoris opera.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

præfererebat, minus vero injurias in-  
 juriis compensabat, imo nunquam in  
 ejus moribus, aut scriptis ullum  
 arrogantiae, aut jactantiae vestigium  
 deprehendebatur: insuper etiam glo-  
 riam, honores, ac bona fugiebat, vi-  
 tamque privatam, ac ferme abscondi-  
 tam trahebat, unice intentus, ac stu-  
 diosus, ut pacem Ecclesiae procuraret:  
 praeterea nullum aliud negotium, quam  
 literarum studia tractabat, neque ul-  
 lum, quam libros pro omnium utili-  
 tate conscribendi laborem aggredieba-  
 tur, nec ullo alio afficiebatur desi-  
 derio, nisi ut veritatem cognosceret,  
 eamque alios edoceret: interim legi-  
 mus, quod in suis literis queratur, se  
 pariter tam a Catholicis, quam Prote-  
 stantibus impugnari, eo quod ad extre-  
 ma prolapsus non esset: verum diver-  
 sas haec criminationes diluit, ac non  
 raro sermonem inspergit de podagræ  
 doloribus, quibus vehementer afficie-  
 batur.

## §. XII.

*Hujus Scriptoris opera.*

**H**ujus Auctoris opera variis tempori-  
 bus, quibus fuere elucubrata, di-  
 versis etiam typis seorsim fuere impres-  
 sa, anno autem millesimo sexcentesi-  
 mo decimo sexto in majori forma in u-  
 num

Sæcul. XVI.  
A. C. 1566.

num volumen collecta Parisiensibus literis excusa prodierunt, quibus etiam adjunctæ fuerunt ejusdem epistolæ, necnon duo colloquia cum Anabaptistis habita, quæ hucusque nondum publicam lucem aspexerant. Ceterum primum, quod Cassander edidit, opus erat de liturgiis, ubi agit de ritu, & ordine celebrandi Cænam Domini, quam Græci Liturgiam, Latini vero Missam appellant. II. Collectio Hymnorum, & Collectarum unacum notis, quibus præfixit Bedæ tractatum de mensuris, & numeris hymnorum, ubi agit præsertim de Officio Divino, & distributione horarum Canoniarum: insuper addit prolixam dissertationem de communione sub utraque specie, ibidemque examinat, an aliquis Sanguis Christi in terris remanserit: oblata autem occasione ex sanctæ Catharinæ hymno hujus sanctæ historiam mere apocrypham ostendit. III. Opera Vigilii Thapsensis Episcopi, olim sub nomine Vigilii Episcopi Tridentini vulgata unacum tractatu Honorati Augustodunensis Præsulis de prædestinatione, & gratia: verum hic tractatus plurimum depravatus prodiit. IV. Commentarius de duabus naturis in Christo. V. Tractatus de Baptismo parvulorum, cui annexus est alius de statu infantium  
fine

sine Baptismo decedentium, ubi Auctor respondet Anabaptistarum difficultatibus. VI. Opus illud, quod a pluribus fuit impugnatum, *de officio pii hominis*, cujus jam supra meminimus, unacum dialogo ad defendendum hunc librum composito. VII. Celebris ejus consultatio de controversis fidei articulis. VIII. Tractatus de restauranda communione sub utraque specie. IX. Catalogus Virorum illustrium veteris Testamenti. X. Duo colloquia cum Anabaptistis. XI. Denique epistolæ ad celebriores ævi sui Viros scriptæ, in quibus multa ad res Ecclesiasticas pertinentia pertractantur. Reliqui ejus libri complectuntur. I. Elogia Virorum illustrium tam Italarum, quam Romanorum II. Panegyricam descriptionem Brugensis civitatis. III. Tabulas de arte, & præceptis Rhetorices, ac Dialecticæ, IV. reductionem nummorum Græcorum, & Romanorum ad Belgicos, V. tractatum de arte concionandi. Ceterum apud omnes in confesso est, quod hic Scriptor primus fuerit, qui de Liturgia solide scripsit.

§. XIII.

*Joannis Hesselii mors.*

Tertius erat Joannes Hesselius, seu *Mivæus de de Hessels* anno Salvatoris millesi-  
Script. Sæc. XVI.  
mo cul. XVI.

B 3

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1566.